



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 73. Indignatio Cæsaris contra Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

stolicæ negotiis non solum sub Leone Pa-
 pa, sed etiam sub Adriano VI. & Cle-
 mente VII. Paucis ante obitum diebus
 testamentum condiderat, vi cuius templo
 S. Mariæ Annunciatæ extra urbem, nec
 non Ecclesiæ Monasterii S. Michaelis de
 Clusa amplissimos redditus donavit: Præ-
 terea pro perficienda, quam vivens in-
 cæperat, Ecclesia S. Apollinaris mul-
 tum pecuniæ legavit, ac quatuor Ca-
 nonicatus, totidemque Præbendas in
 eadem Ecclesia erigi iussit, quarum no-
 minationem, ac præsentationem ad pro-
 pinquos suos, institutionem vero ad
 Cardinalem tit. S. Apollinaris pertine-
 re mandavit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1525

§. LXXIII.

Indignatio Cæsaris contra Papam.

Postquam Galli Pontificis ditiones in-
 grediebantur, summus Pontifex fœ-
 dus cum Francisco Rege initum occult-
 tare, haud ultra sollicitus erat, sed il-
 lud velut recens factum promulgabat,
 eodemque tempore ad Carolum V. in
 Hispanias Legatum decernebat, qui
 eum de re gesta edoceret, ac Papam
 ad id necessitate compulsam significa-
 ret. Imperator, quamvis ceteroquin
 moderati admodum animi esset, gravis-
 simæ tamen, quam adversus Papam
 Hist. Eccles. Tom. XXXIV. K. k. con-

Guic. 1. 15.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

conceperat, indignationi suæ hac occasione temperare non poterat, sed Legato respondit in hunc ferme modum: Sat perspectum habemus, Papam nobis minus propensum esse, quocirca ejus monita ex sincero animo proficisci, haud ultra credere valemus, postquam communis Patris officium exiit, ac partium studio abreptus, cum hostibus nostris sine omni causa ac culpa nostra foedus pepigit. Ceterum nonnisi ad Leonis X. preces Italiam defendendam suscepimus, ac ipsum quoque Clementem adhuc memorem fore arbitramur, quod ipsemet Adrianum VI. ad firmandum nobiscum foedus impulerit, unde sat mirari haud possumus, quod summo sub discrimine nos deserere, totamque belli, quod ipse suscitaverat, molem solis nobis relinquere velit: Confidimus tamen in Domino, quod omne periculum eluctaturi simus, salvo nostro honore, ac non sine ingenti confusione eorum, qui per summam ignaviam terga vertunt. Hoc responsum Imperator ad Sueffæ Ducem, suum apud Papam Legatum Romam scripto transmisit, dato negotio, ut illud ipse ad Clementem deferret.

§. LXXIV.